ſtirpe progeniti exiſtunt,vt Ranzouiorum fere hoc tempore ſunt centum & quinquaginta caſtra ac varias poſſeſſiones obtinent.Inueniuntur etiam Aleſeldiorum & Povviſchiorum fere totidem. Habet Holſatia Epiſcopatum vnum,videlicet Lubecenſem. Hamburgenſis enim Epiſcopatus Bremenſi ſubiectus eſt. Capitula tria, Lubecenſe 32:39.54:18. Hamburgenſe 31:30.54:0.& Outinenſe 32:28.54:38. Abbatias tres, videlicet Reinfeldenſem 32: 23.54:14. Bordeſholmenſem 31:39.54:45. & Sciſmarienſem 32. 55.54:50. Monaſteria decem,inter quæ tria ſunt nobilium monialium magniq; prouentus, quæ adhuc florent. Cætera fere in Scholas ac Xenodochia ſunt conuerſa.

Nobilium lites dijudicantur à ſenatu Ducatuum iudicio, præſidentibus plerumque Principibus,vt priuilegijs ipſorum cautum eſt. Ab ordine ſenatorio interpoſita idonea cautione appellare licet ad cameram Imperialem.

Ciues gaudent propriis priuilegijs ac vtuntur Iure Romano ſiue etiam Lubecenſi Mulctæ inter Principes ac Ciuitates plerumque diuiduntur. Molendina ſpectant ad Principes. Subditi à ſententijs quas ſenatus ciuitatum tulit appellare poſſunt ad quatuor ciuitates iudicio peculiari exercendo deſtinatas. Ab his permittitur ipſis appellatio ad Principes ac Senatores Holſatiæ,ac vlterius etiam ad iudicium Cameræ Imperialis,ita tamen vt cautio idonea præcedat. Ruſticorum cauſæ ventilantur per eorum cauſidicos ſub dio in patentibus campis. Adſuntque eiuſdem loci viri nobiles vna cum præfectis ac duobus Aſſeſſoribus,veluti teſtibus. Ibi in medium prodeunt, qui contra alios litem ſe habere exiſtimant,auditisque & cognitis partis vtriuſq; actionibus defenſionibusq;,conuentus vniuerſus ruſticorũ in conſilium exire iubetur. Expenſis ibi diligenter controuerſijs in conceſſum redeunt, vocatisq; litigatoribus de iure pronunciãt. Si quis ſtare iudicio non voluerit,ad duodecim conſtitutos iudices vel ad aliquot paræcias,& ab his etiam ad ſenatores eius Principis cui ruſtici ſunt ſubiecti, prouocare licet. Ab his etiam appellatio ad commune forum Holſaticum,cui Principes ſtipati conſeſſu ſenatorum præſunt, & deinceps ad Cameram libera conceditur, modo litis grauitas excedat ſummã 500. florenorum Rhenenſium,vigore priuilegij ab Imperatore Ferdinando Principibus Holſatiæ dato.

Meridiani diſtant iuxta rationem 54:30.parallelorum ad circulum maximum.

DANIAE

IIII. TABVLA.

Fioniam cum circumiacentibus Inſulis continens.

FIONIA tam formæ quam ſitus amœnitate conſpicua vernacula lingua pulchrum ſonat. Multis enim naturæ dotibus & cerealibus bonis fecunda,rerumque neceſſariarum vbertate prompta eſt. Eius metropolis eſt Ottonia 31:52.56:24. vbi Fionenſis Epiſcopus ſedem ſuam habet. Eſtque in hac vrbe Ottonia totius inſulæ emporium non vulgare, in quo circa feſtum Epiphaniæ Inſulanorum & præcipuè nobilium frequens conuentus, ſicut Kiloniji in Holſatia 31: 47. 54:57. celebrari ſolet. Ibi duo ſunt templa inſignia, vnum ſancto Canuto,alterum diuo Franciſco conſecratum. In hoc Iohannes Rex anno Chriſti 1513. & Filius eius Chriſtiernus, cum in exilio & captiuitate annos 37. conſumpſiſſent. anno 1559. ſepulti ſunt: circa illud forum eſt valde amplum & ſpacioſum in quo Rex Daniæ cum Ducibus Holſatiæ & Sleſuici antiquum fœdus anno 1580. renouauit. Diſcreta eſt autem Fionia in Præfecturas viginti quatuor, Ciuitates ſexdecim,& arces Regias ſex. Sub ea continentur inſulæ nonaginta ad meridiem ſitæ, pleræque habitabiles, quarum illuſtriores contra Vandalicas ciuitates obiectæ hæ ſunt.

LANGLANDIA ibi Ciuitas Rudkeping 32:47.55:53. LAVVLANDIA 33:30.55:20. FALSTRIA 34:1.55:2. ARRA 32:20.55:50. ALSA 31:31.55:50. TOSINGA vbi ciuitas Nyburgum, telonio nota 32:30.56:1.

Meridiani diſtant iuxta rationem paralleli 56:15. ad circulum maximum.

GERARDUS MERCATOR *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* DUISBERG, 1595 THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS Octavo